



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1613**

Avb. Mirævs Lectori Candido S. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

AVB. MIRÆVS  
LECTORI CANDIDO

S. D.

**I**N Moravia, regni Bohemix̄ prouincia, insigne est cœnobium Ord. Præmonstratensis, quod LVCA nuncupatur. In hoc cœnobio annis superioribus non modò Breuiariũ eiusdem ordinis in folio, ad vsum commodiorem horas canonicas siue legentium, siue cantantium in choro, typis est editum, sed & alia non pauca, eidem instituto illustrãdo, sunt publicata.

Est in his vita HAYTONIS, Regis Armeniæ, post Ord. Præmonstratensis Canonici, à Religioso quodam Lucensi ex varijs scriptoribus concinnata, & typis anno 1609. Lucæ euulgata. Chronico itaque nostro iã sub pralo sudante, cùm ea demũ ad manus nostras peruenisset, visum fuit eidẽ Chronico subnectere, vnã

Q cum

cum vitæ historia B. HROZNATÆ,  
qui Teplense & Chotieffouienſe  
monasteria in Bohemia fundauit, i-  
temque cum historia Martyrū duo-  
rum Belgicorum, ADRIANI HIL-  
VARISECANI, & IACOBI LACO-  
PII, à Calvinistis anno 1572. laqueo  
suspensorum. Et pro his quidem au-  
ctarijs alijsque mi Lector, gratiam  
habe R. P. THEODORO PETREIO,  
viro longè eruditissimo, & Dulma-  
niæ in VVestphalia Carthusiæ nunc  
Priori. S. quid alij in posterum no-  
biscum communicabunt (quod ut  
faciant vehementer rogo) curabo ut  
nemini nequaquam ingrato id præ-  
stitum intelligant. Vale. Ant-  
uerpiæ pridie Pentecostes  
an. 1612.

